



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui ieiunare non possunt, & adimplere quod in poenitentiali
scriptum est. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illis qui ieiunare & adimplere non possunt, quod
in pœnitentiâ scriptum est. Cap. XI.

Ex eodē. **Q**VI ieiunare potest, & implere quod in pœnitentiâ
li scriptū est, bonum est, & Deo gratias referat. Qui
autem non potest, per misericordiam Dei con-
siliū damus tale, ut nec sibi, nec alicui necesse sit, nec de-
sperare, nec perire.

De redemptione illius anni, quem in pane & aqua
ieiunare debet. Cap. XII.

Ex eodē. **P**RO vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, L
Psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, deci-
tet: sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & unum
pauperem pascat, & eo die excepto vino, carne, & sagimi-
ne, sumat quicquid velit.

Alio modo. Cap. XIII.

Ex eodē. **S**I autem talis est, quod tādū in genibus iacere nō pos-
sit, faciat autem sic: infra Ecclesiam, si fieri potest, sin
autem, in vno loco stando intentē, LXX. psalmos per ordi-
nem decātet, & pauperem pascat, & eo die excepto vino,
carne, & sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo. Cap. XIII.

Ex eodē. **Q**VI in Ecclesia genua centies flexerit, id est, si cen-
ties veniā petierit, si fieri potest, ut in Ecclesia fiat,
hoc iustissimum est. Si autē hoc fieri non potest,
secretē in loco conuenienti eadem faciat, si sic fecerit,
die excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placeat.

Item alio modo. Cap. XV.

Ex eodē. **Q**VI Psalmos non nouit, vnum diem quem in pane
& aqua pœnitere debet, diues, tribus denariis, & pau-
per vno denario redimat, & eo die excepto vino, carne,
& sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo. Cap. XVI.

Ex eodē. **P**RO vno die, quem in pane & aqua pœnitere debet,
tres pauperes pascat. Et eo die excepto vino, carne,
& sagimine, sumat quod placeat.

Item alio modo. Cap. XVII.

Ex eodē. **Q**uidam dicunt XX palmas valere pro vno die.